gignitur · potestatis unitate conectitur. Itaque alter in altero · et unum in alterutro ·
Nam et patris gloria est · si non degeneravit in filio · et filii gloria · si pater videtur in christo ·
Ergo non degener · in quo unitatis summa maiestas · non alienus · in quo proprietas genera
tionis · expressio veritatis est. De templi destructione. LXXXV ·

Non relinquetur lapis super lapidem · qui non destruatur. Sequebatur de
vidua locus · quam quoniam in libro quem de viduis scripsimus predica
vimus · nunc sequestravimus · Verum autem dictum est iuxta proposita dictum esse
de templo quod salomon edificavit · idque primum ab hoste iudicii esse tempore subintellegendum ·
Nihil est enim opere et manufactum · quod non aut vetustas conficiat · aut vis subruat · aut
ignis exurat · Tamen est et aliud templum · constructum ex speciosis lapidibus et ornatum
donis · cuius eversionem dominus significare videatur · synagogam scilicet iudeorum · cuius stru
ctura vetus · ecclesia surgente dissolvitur · Est et templum in unoquoque · quod deficiente
fide labitur · et maxime si quis falso christi nomine obtendat · quo interiorem ex
pugnet affectum · Potest et ea esse expositio · que mihi plus prosit. Quid enim prodest mihi diem
scire iudicii · Quid mihi prodest tantorum conscio peccatorum · si dominus veniat · nisi veniat
in meum animum · redeat in meam mentem · nisi vivat in me christus · in me christus loquatur ·
Ergo mihi christus debet venire · mihi debet adventus eius fieri · Est autem domini secundus ad
ventus in defectione mundi · quando possumus dicere · mihi autem mundus crucifi
xus est · et ego mundo · Sed hunc virum talis mundi defectus · si in superioribus
domus inveniat · ut conversatio huius in celis sit · tunc destruitur templum corporale
atque visibile · lex corporalis · et pascha corporale · et pascha visibile · et azima
corporalia · et azima visibilia · Audeo dicere · christus temporalis ut fuit paulo · ante
quam crederet · quia in eo cui mundus deficit · christus eternus est · huic spiritale tem
plum · lex spiritalis · pascha est spiritale · quo semel christus occiditur · Hic epulatur
azima · non ex fruge terrena · sed ex fruge iustitie · Fit ergo huic presentia sa
pientie · presentia virtutis atque iustitie · presentia redemptionis · Hic enim
christus · semel quidem pro peccatis populi mortuus · sed cotidie peccata populi rede
mpturus · De iudicio futuro et signis eius · LXXXVI ·

Cum autem audieritis prelia · et opiniones preliorum · Interrogatus
dominus quando templi futura destructio · et quod signum esset adventus